

9+10/86

IDIBUS OCTOBRIBVS

MCMLXXVI

RMOR VARIVS  
RMOR VARIVS I  
RMOR VARIVS I  
RMOR VARIVS I

RMOR VARIVS

RMOR VARIVS  
RMOR VARIVS  
RMOR VARIVS

TOMUS 9

FASC. 61

# RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA  
TVRICENSI in aedibus AKADIS  
editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos  
annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis: (annuum)

In Helvetia	Fr. 14.--
In Germania	DM 20.--
In Austria	ÖS 140.--
In ceteris	
Europae terris	Fr. 20.--
In terris trans	
maria sitis	US 18.--

Singula specimina qui rogaverit,  
gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Dr. Emanuel Bernard  
Dr. Jürg Bleiker  
Udalricus Aeschlimann  
Martinus Meier  
Dr. W.F. Ebel (Amicus)  
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum  
legentibus publicandarum curat:

Christina Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda sunt  
ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS  
c/o AKAD  
Postfach  
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein  
Zürich-Oerlikon  
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der SOCIE-  
TAS LATINA TVRICENSIS unter dem  
Patronat der AKAD herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal  
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis: (jährlich)

Schweiz	Fr. 14.--
Deutschland	DM 20.--
Oesterreich	ÖS 140.--
übriges Europa	Fr. 20.--
Uebersee	US 18.--

Einzelne Probenummern können  
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam

Dr. Emanuel Bernard  
Dr. Jürg Bleiker  
Ulrich Aeschlimann  
Martin Meier  
Dr. W.F. Ebel (Amicus)  
Daniel Weissmann

Graphik und Layout:

Christine Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS  
c/o AKAD  
Postfach  
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein  
Zürich Oerlikon  
RVMOR VARIVS P7 642.719.0


# PRÆFATIO

Egregii legentes

Hodie vobis praeco nuntii re vera maxime iucundi esse  
possum: Ea, quae priore libello (5+6/86) de desiderio  
editorum - ut nobis quam plurimas symbolas Rumore Vario  
divulgandas mittatis - scripseram, oculos vestros non  
praeterisse videntur! Tot enim novae symbolae a vobis  
compositae divulgandaeque interim in domum editoriam  
Rumoris Varii advenerunt, quot numerare vix possum! Nunc  
tandem factum est, quod editores precibus nostris semper  
repetitis iamdudum efficere conabamur: Nunc enim habemus  
fundum symbolarum Latine compositarum satis magnum, quo  
paginas multorum libellorum futurorum tegamus. Quod factum  
profecto iucundum significat Rumorem Varium modo octo annos  
natum etiam futuris temporibus vigere, florere, valere.  
Maximam gratiam vobis agimus, cari legentes. Nam symbolis  
nobis missis vos quoque curatis, quod editores Rumoris  
Varii ipsi curamus, ut Latinitas libello nostro in toto  
orbe terrarum porro propagetur et colatur. Valete!

*U. Aeschlimann*

Udalricus Aeschlimann



# Litterae ad legentes

S. O. S.

S U C C U R I T E , O S O D A L E S !

In urbe mea hortus publicus quidam est infeliciter nominatus "Hortus Zamenhofianus"; in quo recentius et infeliciter erectum est monumentum lapideum in quo inscriptum est sine lingua Zamenhofiana ("esperanto" dicta) gentes varias linguam communem non habituras fuisse. Atque bonos cives video ante monumentum consistere et inscriptionem legere vultibus admiratione reverentiaque affectis.

Ad magistrum urbis, cum hoc mendacio civium animos imbui aegre ferrem, epistulam misi in qua et Latinam linguam inter gentes commode et vivide vigentem exemplis documentisque variis illustrabam et rogabam ut alterum erigeret monumentum in Latinitatis vivae honorem. Qui magister urbis mihi respondit id, quod peterem, "non posse fieri". Tum ego, quae pugnax et obstinata sum, ei alteram epistulam misi, in qua rogavi quibus causis hoc idem in Latinitatis honorem "non posse" fieri quod in Zamenhofianae linguae honorem potuisset. Nullum (ad hunc saltem diem) responsum accepi.

HAEC EST PUGNA MEA: UT "MEA" FIAT "NOSTRA" vos oro et obsecro, lectores!

Nam magno auxilio mihi eritis si hanc unam brevem sententiam "Ego quoque monumentum in Latinitatis honorem erigi velim" in chartula cursuali scribetis, nomine vestro et urbis vestrae addito, atque hanc chartulam mittetis ad me:

Mme Geneviève Immè  
21 boulevard Recteur Sarrailh  
F - 64000 PAU (France)

Haec chartula est sine involucro mittenda (ut plane appareat per pittacium signatum eam re vera missam esse ab alio homine ex alia regione); et in aversa parte velim imaginem urbis vel regionis hominis mittentis impressam esse (quo manifestius sit iam a primo prospectu quod magistro urbis scripsi de Latinitate ubique in terris vigente).

Quo plures eritis qui hoc benigne agatis, eo maior spes erit magistrum urbis voci populi, quae vox Dei dicitur, oboediturum! Nam has chartulas, postquam satis multas colligere potuero, ad eum adferam... et adveniet quod Deo placuerit!

Gratias quam maximas ago et commentariorum editoribus, qui hunc nuntium meum benigne ediderint et vobis lectoribus, qui chartulas benigne scripturi estis.

Genovefa Immè



## SOLUTIONES

aenigmatis, quod vobis in RVMORE VARIO 7+8/86 proposuimus, hoc demonstrantur:

<sup>1</sup> I	<sup>2</sup> O	<sup>3</sup> N	<sup>4</sup> I	<sup>5</sup> A
<sup>2</sup> O	T	I	U	M
<sup>3</sup> N	I	M	B	O
<sup>4</sup> I	U	B	A	R
<sup>5</sup> A	M	O	R	E

# DE MULIERIBUS VIRISQUE SANCTIS HELVETICIS

## De Felice et Regula

Inter eos, qui tormentis vitatis Agauno fugerant, et Felix erat et Regula, eorundem liberi parentum. Per Alpes montes migraverunt usque ad vallem Glaroniam. Ibi evangelizabant atque multos homines Christianos reddebant.

Multa quoque de urbe quadam audiebant Turicum vocata. Ergo Lindimacum flumen sequentes eam in urbem profecti sunt. Quo cum advenissent, quaerebant, ubi habitarent, neque vero quisquam pauperes et egenos excipiebat. Qua re extra urbem casulam exigua aedificaverunt non procul a ripa Lindimaci.

Turici tunc temporis Decius imperium tenebat. Qui a Maximiliano imperatore iussus erat conquirere Christianos atque perdere.

Servi Decii nonnulli per urbem vagantes Felicem Regulamque viderunt neque ceperunt, quia caecati erant a Deo. Felix: "Oremus, Regula mea, deinde nos Christianos esse confiteamur!" Confessi ad Decium sunt ducti. Qui verbis blandis primum, deinde minis atrocibus eis persuadere studuit, ut deos deasque Romanos colerent.

Constantes igitur aqua fervida coqui iussit, sed in olla sedebant, quam si esset balneum commodissimum. Tunc rota nectere eos voluit - frustra! "Tormenta tua nobis melle suaviora sunt!" Felix et Regula exultaverunt.

Decius cum haec audiret, statim eos capitis damnavit. Bene mane a carnifice foras agitati sunt atque decapitati prope casulam suam. Populo autem maxime mirante duo sancti capita decisa manibus sustulerunt et in collem portaverunt sepulcrum ita indicantes. Ibi oblivioni traditi sunt usque ad tempus Caroli Magni, qui supra collem ecclesiam magnam collocavit.

Martinus Meier

# Litterae ad editores

Amicis, qui commentarios "Rumor Varius" inscriptos conscribunt et edunt, s.d.p.

Totiens valde gaudemus quotiens commentarios vestros legimus; pigritia vero, qua otiose frui feriarum tempore iuvat, impedit ne maturius scriberemus. Et vos scriptores cunctos amicaliter salutamus vobisque cunctis gratulamur, et Emanueli Bernard praesertim respondere cupimus, quia in ima pagina 67 (libelli 59 videlicet) haec scripsit: "Quae est narrationis pars prima. Si alterius legendae cupiditas vobis erit, facite sciam quaeso". Propterea facimus sciat nos re vera cupere hanc alteram partem nuntiatam legere, quia prior nobis et iucundissime fluere et animi sensibus facetaque elegantia redundare visa est.


Ceterum, cum etiam etiamque vehementius rogetis ut lectores scripta edenda vobis mittant, ecce vobis ridiculam quattuor carminum figuratorum seriem (quae Graece "technopaegnia" antiqui nominabant), quam seriem Genovefa composuit. Nam, cum Emanuel Bernard facete dixisset de vini bibendi cupiditate, et "coffeeae potum nervos excitare, aquam autem ventrem implere" confirmavisset, nobis placuit haec levia carmina mittere, quorum uno lagoena, altero poculum, tertio altare vino dicatum, quarto altare cervisiae dicatum figurantur, si forte vobis digna viderentur quae in commentariis vestris ederentur. Quattuor carminibus titulum unicum Genovefa praescripsit: "Potoria".

Valete, amici: Vale Emanuel Bernard et vale Udalrice Aeschlimann et vale Martine Meier et vale Guarniere Ebel Amice; valete omnes amici nobis incogniti, vel rectius scriptis vestris nobis solum noti! Feliciter feriamini atque nos amate!

Genovefa et Antoninus Immè


Dabamus Pali, die XX° mensis Iulii anni Domini MCMLXXXVI.

# Potoria



Lagoena  
referta  
liquore,  
tuum per  
favorem  
homullus  
deus fit:  
Bibamus,  
amica,  
simulque  
Lyaeum  
canamus!

Vere suavis  
est haec lagoena  
his faucibus gulosis  
linguaeque delicatae  
tubicina dum sonat hymnos  
regnatque venusta voluptas,  
seu praedulce merum cyathos implet  
nectar vitigenum quod amat Bacchus  
et multum parit Ausonius collis  
seu cervisia praebibitur spumans  
quam Germania praecipuam miscet  
sollerter lupulis amyllum iungens:  
Nam nos haustus uterque facit laetos  
dum compotor amabilis adsidit  
quocum mutua pocla propinamus  
et dum dolia fert alacer caupo  
laetaturque videns vacuefactos  
quos portaverat ipse cados plenos:  
Fer nobis alios, renova potum:  
Nam dum complet aqua stomachum potor,  
hic tristis dolet, ipse dolet caupo  
quod iam pera crumenaque flaccescunt;  
at cervisia vel sapidum vinum  
laetis deliciis bibitorem implet,  
cauponis subito tumidam peram  
nummis farcit et aere sigillato:  
Potor nectare gaudeat exhausto,  
caupo consocius simul exsultet;  
illis pallidus invidet stulte  
maerens insipidissimae aquae potor!



Pocla cum succo famulae pampineo ministrant,  
Caecubo laetos calices vel cyathos repletos:


Sitimus nam sapidum vitigenumque ius  
Quod pater Bacchus Naxius apparat  
vel flavae Cereris dulcacidum haustum  
Germanus lupulo quem braciat vir.

Ebrietas  
turpicula  
hinc abeat,  
sed modica  
laetitia  
nos recreet:  
Laetum bibulorum sonitum  
Baccho placet audire deo.

Exigimus monumentum  
quod fore non reputamus  
aere perennius unquam.  
Dum tamen id spatium maneat breve temporis  
quo bibimus et amicitiam colimus levem  
qua comites sociantur ad ultima prandia,  
iam satis hoc erit ut recinam deum  
qui sua comica nos docuit ioca  
et sua vitea nos monuit sacra.



Laetitiae deus ille  
ebrius est aliquando;  
ebrietas tamen eius  
laetificans hilarisque  
omnimodo est venialis.  
Ferte liquamina multa  
e variis data terris:  
Graeca reponite vina  
quae Chius insula fundit  
vel quoque Lesbica vitis;  
ne Libycus liquor absit  
fervida quem coquit ora;  
adiciantur ad illa  
Italiae generosae  
tot mera deliciosa:  
Multigenis calicellis  
gaudet amoenus Iacchus.

Nam Mareotica vina Falernaque  
Massica pocula, Caecuba dolia  
Bacchica munera sunt sapidissima.  
Ara dei neque gemmiferis tabulis fuit,  
Pentelicis neque marmoribus neque succino  
sed numeris quasi condita dactylicis meis.



Incognito dedicamus deo  
 altare quod struximus versibus,  
 aram sacram numini tam sacro  
 qua debitas reddimus gratias:  
 Arcanus hic qui deus ritibus praecolatur piis  
 fortasse lector sciendi fere curiosus rogat:  
 Qui primus aliam saporamque cervesiam diluit,  
 hunc nomino nominandumque dico benignum deum.  
 Namque mortalium si genus mystice vacchans  
 per tot aras Lyaeum datorem colit vini,  
 nonne cervesiae liberalem creatorem  
 his eisdem decet caerimonis honorare?  
 Ne qui cruor foedet aram meam,  
 ne qui rubor tingat illud sacrum:  
 Non sanguinem victimarum modo  
 haec ara contemnit et respuit,  
 sed vina non accipit dulcia:  
 Victus ruber cedat uvae liquor  
 flavae suaviue cervesiae:  
 Libare cervesia nam decet  
 illi deo nostra libamina  
 et laeta potantium tempora  
 serto coronare flavo hordeo  
 dum fungimur prosperis ritibus  
 Hibernicis, Gallicis, Belgicis  
 Helveticis atque Germanicis.  
 Columbas ferat Cypridi nescioquis,  
 Iovi maximo mactet alter iuencos  
 suesve pingues ovillumve donum,  
 coronetve quivis racemis Lyaeum:  
 Nos bestiis immolatis cruentisque sollempnibus  
 nos orgiis abstinemus solutisque deliriis,  
 sed patrio potui temperatissime nos damus  
 et sobriis gaudiis et modestis voluptatibus.

Scrpsit Genovefa Immè



# Facete lepideque dicta

## Quomodo theologus a philosopho differat

In aliqua disputatione Henry D. Bartlett theologus William James philosopho et psychologo Americano: "Philosophus", ait, "similis caeco est, qui in cella obscura felem nigram invenire conatur, quae nequaquam ibi inest." Tum William James: "Forsitan id rectum sit. Sed theologus eo modo a philosopho differt, ut illam felem inveniat."

## Cuius opus?

Rusticus Siculus agrum sterilem et vastum durissimo labore in pomarium hortumque olitorium florentissimum mutavit. Tum pastor (=Pfarrer) vici eum his vocibus laudavit: "Optime! Deus et tu, vos vere opus maximum et salutare effecistis!" Tum rusticus: "Benigne, Don Clemente; sed te illum agrum videre oportuit, cum Deus solus eum curavit."

## Metamorphosis mira

Georges Clemenceau, ille gubernator Gallicus propter acerbas facetias notus, de quodam in re publica versante (=Politiker), qui nihil proficiendo indolis suae exspectationes eius deceperat, dixit: "Miraculum rerum naturae accidit: iste homo a papilione in erucam (=Raupe) mutatus est."

## Cave canem?

Inscriptionem "Cave canem mordacem!" neglegens Mediolani fur in villam nobilem irruperat. Antequam praedam secum auferens fugit, inscriptioni adiecit: "Nolite taliter detrahare (=verleumden) de miseris bestiis innocentibus!"

### Alia ratio

Alter: "Medicus mihi suasit, ut vitam multo modestiorem agerem."

Alter: "Et quid fecisti?"

Alter: "Medicum minorem mercedem postulante quaesivi."

### Proximi post tempus consuetum advenient...

Novus maritus, cuius uxor iam sex menses post nuptias infantem pepererat, ob illam deviationem (=Abweichung) a tempore consueto graviditatis inquietus medicum consuluit. Ille subridens: "Ne sollicitus sis", ait, "tales deviationes tantum in natu primi infantis accidere solent. Proximi omnes post tempus consuetum advenient."

### Narratio criminalis?


Alexandre Dumas minor poeta cum fabulam titulo "Diane de Lys" componeret, saepe cum amico Henri Mirauld conveniebat et de actionis progressu eius fabulae deliberabat. Aliquando de quaestione gravissima, utrum heros (eae partes, quas actor princeps agebat) in fabula necaretur an finis placabilis heroe vivo praeferenda esset, disputaverunt. Fabula perfecta Dumas statim ad amicum properavit, sed ille domi non erat. Maxima cupidine communicandi cum Henri fabulae finem, quem composuerat, incitatus ad custodem domus (=Concierge) se contulit eique dixit: "Nunties, quaeso, domino Mirauld, cum reverterit, omnia perfecta et Aubry (heros fabulae) a me necatum esse." His dictis Dumas propere abiit, et custos inopinans stupore et horrore attonitus stabat. Tandem Mirauld revertit et nuntium audivit, et maxime horror et stupor custodis aucti sunt, cum responsum illius audiret: "Necavitne eum? Excellentissime! Ego quoque idem fecissem!"

Daniel Weissmann

The CLASSICAL  
WIZARD

MAGUS MIRABILIS  
IN OZ

Scriptis  
L. Frank Baum  
Picturas addidit  
W. W. Denslow



in linguam Latinam converterunt  
C. J. Hinke et George Van Buren

Scolar Press  
2430 Bancroft Way  
Berkeley, California 94704  
USA

Scolar Press  
Gower House, Croft Road  
Aldershot, Hampshire GU11 3HR  
England

THE CLASSICAL WIZARD / MAGUS  
MIRABILIS IN OZ ad celebrandum  
festum anniversarium editionis  
primae THE WONDERFUL  
WIZARD OF OZ octogesimum sex-

tum in lucem prodit. MAGUS MIRABILIS IN OZ picturas continet W. W. Denslow ipsius et editione prima anni MCM fundatus est. Rogatu verborum index selectorum separatim haberi potest.

Per annos iam paene centum quae hilare MAGO MIRABILI IN OZ acciderunt pueris maioribusque voluptati fuerunt. Primum anno millesimo nongentesimo in lucem edita, fabula puerilis Americana facta est praestantissima: narratio amicitiae sapientia amore fortitudine ornata, quae res adversas superat omnes. Huius libri, utpote qui pueris puellisque Americanis dilectissimus habetur, exemplaria iam divendita sunt plus centies centena milia; in linguas translatus est plus triginta; nunc autem in lingua legi potest omnium linguarum praestantissima vel "classicissima". THE CLASSICAL WIZARD / MAGUS MIRABILIS IN OZ prima est conversio Latina. "Classico" cum "classico" congregante, evenit quod...hem..."classicissimus" est.

THE CLASSICAL WIZARD / MAGUS MIRABILIS IN OZ omnes alliciet qui denuo cum Dorothea et Totone experiri cupiunt quae

secundum viam laterum flavorum contigerunt. Praeterea, mire singulis annis crescente in ludis scholis studiorum universitatibus numero eorum qui linguae Latinae operam dant, et discipulis et magistris pergratum erit hoc additamentum iucundum eorum quae legi solent. Denique, sunt milia illa MAGI amatorum quibus cordi erit occasionem hanc conversionem unicam et venustam acquirendi non omittere. THE CLASSICAL WIZARD / MAGUS MIRABILIS IN OZ litteras ditat et Latinas et Brittanas atque reditum praebet dulcem ad terram mirabilem Oz. Nonne te nobiscum coniunges?

-----  
Locus ex capitulo IV THE CLASSICAL WIZARD / MAGUS MIRABILIS IN OZ exscriptus:

"Narra mihi de te, et de terra unde es orta," dixit Terriculus, cum Dorothea cenam finivisset. Narravit ergo ei omnia de Kansa, et quam omnia ibi rava essent, et quomodo turbo se ad hanc miram terram Oz abstulisset. Terriculus diligenter audivit, et dixit, "Non possum intellegere cur cupias hanc pulchram terram derelinquere et redire ad illum locum aridum ravumque quem Kansam vocas." Sic putas quia cerebro cares," respondit puella. "Nil refert quam tristes et ravae domus nostrae sint, nos qui carne et sanguine constamus eas incolere malimus quam ullam aliam terram, quamvis pulchra sit. Nullus est locus instar domus." Terriculus suspiravit. "Scilicet intellegere nequeo," dixit. "Si vestra capita, sic ut meum, stramine stipata essent, omnes loca pulchra probabiliter habitaretis, et tum Kansas nullos omnino incolas haberet. Felix est Kansas propterea quod cerebra habetis."

-----  
Scripsit vir doctus Dr. Douglas G. Greene, rector societatis The International Wizard of Oz Club dictae: "Eminebat Baum inter scriptores Americanos librorum pueris destinatum, atue talium librorum saeculo vicesimo compositorum THE WIZARD OF OZ non solum illustrissimus est sed etiam lectoribus acceptissimus; exemplaria divendita sunt plus centena milia. Quod pictura cinematographica a MGM creata in qua Judy Garland primas partes egit etiam

nunc floret testimonio est hanc fabulam perennem placere perseverare. ...Nullam viam linguae Latinae discendae invenire possum meliorem quam libri lectionem familiaris qualis est MAGUS."

Et Dr. Sheila Egoff, Professor Emerita Scholae Bibliothecalis Studiorum Universitatis Columbiae Britannicae Canadensis:

"Non solum inter libros Americanos pueris destinatos partem obtinet maiorem; quod per mundum totum legitur ex conversionibus in linguas alienas permultis factis manifestum est. Aptum igitur videtur ad manum habere translationem in linguam factam tam principalem quam Latinam. Subicio quoque eam magnopere multitudinem eorum delectaturam esse qui denuo linguae Latinae operam dant - non solum in loco Caesaris De Bello Gallico vel Vergilii Aeneide, sed etiam pro argumento linguam Latinam non esse mortuam."

---

#### SCIDA EMPTIONIS

Mittite mihi quaeso exemplaria THE CLASSICAL WIZARD / MAGUS MIRABILIS IN OZ \_\_\_\_\_ pretio cuiusque \$18.95 USD.  
Mittite quoque quaeso tabellas plane coloratas ad librum praedicandum \_\_\_\_\_ pretio cuiusque \$10.00 USD.  
Addendum est ad impensas cursuales involumentumque "1.00 USD.

Invenietis summam US \$ \_\_\_\_\_ inclusam.

Nomen et titulus \_\_\_\_\_

Inscriptio cursualis \_\_\_\_\_

Urbs et patria \_\_\_\_\_



THE CLASSICAL WIZARD / MAGUS MIRABILIS IN OZ studiorum Latinorum renascentium adiutor est primarius. A lectore quodam linguae Latinae perito ita de hoc libro iudicatum est: "Haec est Latinitas Americana, cui similis nulla mihi nota est. Structura grammatica iusta; verborum copia abundans accurata; forma autem sententiarum ordoque verborum eadem quae apud ipsum scriptorem inveniuntur...id est, regionem Americae occidentalem mediam sapiunt. Hic color Americanus, cui additur hic illic elegantia quaedam Apuleiana neglegens necnon alliteratio, conversionem venustate vera vivacitate imbut."

ISBN: 0-85967-723-0

October 1986

Pretio: \$18.95 USD

Scolar Press  
2430 Bancroft Way

Berkeley, California 94704

USA

*Ante imaginem beatissimae virginis  
Cestochoviensis*

Metrum sapphicum

Saeculorum tu, studiosa mater,  
ordines dulci comitaris ore,  
omnibus natis reserans benigna  
limina Caeli.

Anxie sortem miseram secuta  
filiorum, qui lacrimas tepentes  
saepe fuderunt, senium remittis  
subsidia augens.

Servitutis cum gravior catena  
frangeret vires populo valenti,  
luxit ut sidus tenebris in altis  
mitis imago.

Pastor ut pressus pluvia repente  
arborem quaerit foliis onustam,  
signa cauturus violenta divi  
dum cadit imber,

cura sic constans recreat medullas  
civibus maestis, medicamen unum  
qui petunt a te, genetrix pudica  
fulgura pellens.

Qua amnis auditur sonus in quiete  
aequoris lati, procul alta turris  
praebet aegris spes animis serenas  
lumina tergens.

Nunc abundantes venias profunde,  
tu valens pomis gravidis rigare  
litus incultum, Maria, aequa donans  
corda favore.

Florindo Di Monaco

# Aenigma

1. postridie
2. lis
3. polum
4. insula Graeca (Dat.)

Hoc aenigma composuit

Daniel Weissmann

1	2	3	4
2			
3			
4			



## Facete lepideque dicta

Interrogata difficillima ad stationem radiophonicam emissivam Erivanensem directa.

Nunc id agitur

Interrogatum: Utrum quipiam Romae in urbe sacrosancta inveniri potest atque etiam sancta quidem quadrupes an non?

Responsum a locutore stationis radiophonicae Erivanensis datum: Interrogatum illud non parvam esse rem puto, sed nimirum ita sane quidem talis sancta inveniri potest Romae quadrupes: sedes sancta scilicet!

\* \* \* \* \*

## Quomodo bucinam conficere

Interrogatum: Quomodo autem bucina confici potest?

Responsum: Foramen, quaeso, capias atque brattea id sollerter circumliges seu circumplices seu obvolvas.

Interrogatum additum: Gratias ago maximas, sed unde, responde mihi, inveniri potest foramen illud?

Responsum: Foramen autem illud re et veritate facillime inveniri potest, quoniam sufficit tibi iam fistula simplex fornacalis vetustissima. Ab ea fistula bratteam subtiliter accurateque revolvias et ita non difficulter foramen illud quaesitum invenias!

\* \* \* \* \*

## Quaestio difficillima

Interrogatum: Quid autem hoc hominis tandem est: comunista?


Responsum: Homo quidam, qui spem iam tempore procedente abiecit se capitalistam fieri quidem posse.

\* \* \* \* \*

"Progressus" miserandus in saeculo (instrumentorum) computatoriorum seu computatorum.

Vox clamantis (secretariae): "O, quid fuerunt utique verum tamen tempora splendida, ubi quondam etiam nobis licitum concessumque erat in gremio principis sedere!"





"Teneto id, quaeso, solum momentum (puncto temporis) amica!"

AMICUS

## De Tolomeo rustico ac diabolo fabula

In Francogallia fabulae populo gratae modo post Magnam civitatis Conversionem (1789) ratione ac via collectae sunt. Antea enim homines nobiles fabulas gentis proprias parvi aestimaverant. In litteris Francogallicis vestigia complura ut Celtica, Romana, Germanica inveniuntur. Non modo cuiusdam Caroli Perrault, qui Ludovici Magni temporibus genere fabularum eminebat, iucundissimae lectu sunt, sed etiam fabulae illae populares, quae a Germanicis fabulis non mediocriter differunt. Miracula enim, quibus pretium absolutum tribuendum est, a fabulis Francogallicis absunt. Philosophia Cartesiana sane non solum hominum litteratorum cogitandi rationem, sed etiam vulgi excoluit. Viri fortissimi aut feminae fortissimae persaepe humili loco nati sunt. Primae partes aguntur a filiis agricolarum, operariorum, hortulanorum.

Hodie vobis fabulam Francogallicam de rustico nominis Tolomei ac diabolo narratura sum. Originem ducit e regione Picardiae.

Rusticus quidam Tolomeo nomine cum familia sua vitam miseram agit. Uxor liberique gravi morbo laborabant, messes

male eveniunt, horrea stabulaque incendio delentur. Tolomeus haud ignorat rem in summo discrimine esse. Tum "Diabolus solus" inquit "servare me poterit." Diabolus veste pulchro indutus statim adest. "Actum est de te, amice," inquit "itaque me adis. Ego te adiuvabo. Dic, quid velis." Tolomeus celeriter res omnes, quibus eget, enumerat. "Bene, bone vir," inquit diabolus, "omnia bona optata tibi praebebo, sed gratum mihi facere debes. Ubi gallus hac nocte primum cantaverit, omnia bona tibi erunt. Sed animam filii tui maioris natu a te postulo." Tolomeus aliquamdiu pendet animi, tum ad diaboli condicionem venit. "Oportet autem" inquit "te villam cunctam ante primum galli cantum aedificavisse. Opere non confecto a me nihil accipies." Diabolus bene contentus est. Rusticus nonnullis sanguinis guttis pactioni subscribit. Statim multitudo parvorum diabolorum advolat villamque aedificare incipit. Magna cum celeritate laborant. Uxor rustici et liberi e morbo convalescunt. Rusticus uxorem de omnibus rebus certiozem facit. Rustica attonita: "O te miserum," inquit "quid egisti? Filium tuum diabolo committis. Tu vero ipse diabolus es." Rusticus autem: "Fidem in te habeo, optima, mulieres enim diabolorum facile decipere possunt." Uxor: "Deus omnipotens" inquit "mulierem e serpentis pede creavit. Callida ergo sum. Villam filiumque servare potero." Diaboli iussi erant opus ante quintam horam conficere. Rustica autem iam quarta hora surgit et in gallinarium se confert. Gallum somno excitat. Qui statim cantare incipit. Diaboli decepti aufugiunt. Opus eorum paene confectum est. Murus solus villam circumdans nonnullis lapidibus eget. Horrea autem frumento abundant, in stabulis equi laeti vaccaeque sanae videntur, in armario est crumina magna nummis aureis impleta. Omnia e re rustici sunt.

E quo tempore familia rustica vitam iucundam quietamque agit. Diabolus sane ab eodem homine iterum decipi non solet.

Barbara Maier

DE SEMINARIO LATINO INTER DIEM 27<sup>um</sup> MENSIS QUINCTILIS ET  
2<sup>um</sup> MENSIS SEXTILIS ANNO 1986<sup>o</sup> MORSACO IN VICO HABITO

Laetis animis omnes participes vel iam die Dominico vel etiam die Lunae multis ex partibus Europae Morsacum (1) confluerunt, ut per septimanam integram multa et nova addiscerent de usu linguae Latinae modernae. Inter 39 participantes qui numerus omnem spem longe supercessit, non erant tantummodo professores academici dignissimi et Latinitatis peritissimi, sed etiam discipuli discipulaeque tredecim et sedecim annorum, qui adhuc in scholis vix umquam verbum Latinum protulerant.

Ut mos est, pater Caelestis Eichenseer Saravipontanus (2) nos omnes facilitate sua Latine loquendi stupefecit et ad imitandum est exhortatus neque minus hilaritate eximia effecit, ut haud raro risibus corriperemur neque umquam oriretur fastidium ullum. Quae hilaritas eo magis est admiranda, quod ipse in Germania, patria sua, pater Caelestis multis inimicitiis ex invidiosis collegis exeuntibus conturbatur et immo cruciatur. Latinitas enim viva plurimis philologis simul et ridicula et periculosa esse videtur, unde fit, ut patrem Caelestem, quantum possint, perturbare eiusque famam subvertere conentur.

His rebus tristibus neque humano genere dignis liberi seminario sumus gavisii et inter nos novas iunximus amicitias et veteres confirmavimus. Quantum sit gaudium Latine loquentium, cum post longum tempus tandem se revideant, tantummodo is potest imaginari, qui per totum annum despici et irrideri solet, ubi primum unum verbum Latinum ex ore suo demiserit!

Morsaci nos nemo ausus est contemnere; immo grex iuvenum Germanorum ex oppido Haren Saxoniae Inferioris (3) oriundorum, qui vestigia sancti Francisci sequentes septimana Assisii peracta in patriam erant redituri ac Morsaci in eodem hospicio, quo nos, pernoctaverunt,

maximopere est miratus Latinitatem re vera posse hodie adhiberi.

Lectionibus institutoriis, quae erant matutino tempore inter horam nonam et duodecimam, postmeridiano autem tempore inter horam quartam et sextam, pater Caelestis unumquemque et unamquemque nostrum - intererant enim haud paucae puellae ac mulieres, quae sola iam sunt causa seminaria talia visitandi! - interrogare solebat de multis rebus ad vitam cottidianam pertinentibus, velut de vehiculis, quorum sunt multa genera: autocineta, tramina ferriviaria, aeroplana, helicoptera, birotae, ut exempla afferam. Qui patrem Caelestem novit, non dubitat, quin plurima per iocos dixerit et interrogaverit. Interdum etiam textus legimus aetate renascentiae compositos, quibus agitur de cervesia coquenda, de montibus ascendendis, de vita eo tempore Aquis Helveticis (4) gesta. Horis intercalaribus, ut ita dicam, i.e. horis liberis secundum suam quisque voluntatem vel ambulabat vel in Lacu Quattuor Pagorum (5), qui non longe distat a vico Morsaco, natabat vel quieti se dabat novas vires labori instanti sibi assumpturus.

Die Martis Inga Pessara-Grimm, cuius vox suavissima e phonocaseta a Societate Latina Saravipontana edita et dialogos Erasmanos aliaque colloquia continente percipi potest, orationem imaginibus exornatam de pane conficiendo, de variis frumenti generibus deque opere molinario pistorioque habuit. Quae ut multis participibus erat nimis prolixa, tamen omni laude digna erat, cum Inga multam dedisset operam et in praeparanda oratione et in optime Latine loquendo et pronuntiando.

De pronuntiatu ceterum hic pauca inserenda sunt: Plerique participantium iam plus minusve pronuntiatui incumbabant, qui vocatur restitutus et qui putatur a linguistis ei simillimus esse, quo Romani aureae Latinitatis utebantur. Quem qui adhibet, diligentissime observat quantitates

syllabarum singularum, consonantes occlusivas, i.e. c, p, t semper sine aspiratione profert, diphthongos ae et oe sicut a(e) et o(e), non sicut ä et ö emittit, v sicut v anglicum dicit, ch, th, ph sicut k-h, t-h, p-h (non f!) pronuntiat. Hae sunt regulae principales pronuntiatu restituti; pater autem Caelestis nemini irascebatur, qui propter consuetudinem pristinam pronuntiatum suum proprium mutare vel nolebat vel nequibat. Haec dixerim eis, qui patrem Caelestem fanaticum esse propagatorem pronuntiatu restituti existimant!

Die Mercurii facta est excursio iam solita, qua ducti sumus in ecclesiam bibliothecamque praeclarissimam Einsidlensem. Patre Gebhardo Müller duce plurima et scitu dignissima accepimus de illo monasterio toto in orbe notissimo. Una tantum res mihi minime placuit: Cum pater Caelestis iam ante excursionem factam multa et iocosa dixisset de nuptiis meis instantibus deque sponsa mea Einsidlae in bibliopolio operante, omnes fere excursionem participantes bibliopolium illud intraverunt Monicam meam quasi camelopardalem vel elephantum horto zoologico insidentem contemplaturi et observaturi. Ibi, ut mos est multis touristis Germanis (triste dictu!), tumultuantes se gesserunt, quam si ipsorum in domibus essent. Hic modus se gerendi, secundum meam opinionem, non convenit humanitate, quae semper sit coniuncta cum Latinitate!

Die Iovis Lambertus Piggini(us), Italus ille editor celeberrimus libellorum nubeculorum (6), quibus titulus "Donaldus Anas" sive "Michael Musculus", eorumque Latinorum, magni animi commotu sermoneque mixto Italico-Latino Latinitatis interitum deploravit, quam si esset Latinitas iam funditus exstincta toto in orbe terrarum. Ad quae pater Caelestis consolanter respondit nondum esse omnem spem prociendam. Similes enim linguae Latinae condiciones ac hodie iam fuisse aetate media exeunte, nihilominus postea ver novum esse ortum. Eodem die vespertinis horis Axel(ius) Schönberger sive Pulchrimontanus, iuvenis magna indole et lingua rapidissima

praeditus Germanus, eos, qui voluerant, in novos ludos induxit, qui essent eximio auxilio ad addiscendam aliquam rem ad linguam Latinam spectantem.

Die Veneris, i.e. Kalendis Sextilibus (sive Augustis, si quis legentium nomen imperatorium anteposuerit illi rei publicae tempore usitato), Morsaci sicut tota in Helvetia dies nationalis celebratus est. Cui occasione hymnicum canticum nationale Helvetiorum in sermonem Latinum verteram, quae versio infra inspicere poterit.

Cena quoque valedictoria eo die est habita, intra quam non tantum ioci et cantica, sed etiam nonnullae orationes exhibitae sunt, plerumque breves et ad gratias patri Caelesti agendas pertinentes. Walter(us) autem Hoeres, professor philosophiae metaphysicae Francofordiensis, homiliam quasi habuit, qua verbis dilucidis causam status Latinitatis haud satis prosperi hodiernae aetatis "sinisterrimae" - ita ipse dixit, non ego, quamvis mihi hoc verbum duplicem sensum continens plurimum placeret! - explicare conatus est.

Bibentibus et paululum comedentibus nec non contentis confabulantibus nobis - at etiam, ut verum confitear, paucis usque ad horam secundam matutinam tumultuantibus! - tempus celeriter processit iamque nonnullis erat aufugiendum. Ceteri die Sabbati Morsacum reliquerunt propositis captis, ut proximo anno redirent. Nam et anno 1987° aequum erit seminarium eadem septimana, qua hoc anno. Vos, lectrices lectoresque carissimi, iam hodie monuerim, ut veniatis!

Martinus Meier

1	Morsacum,-i n.	Morschach
2	Saravipontanus,-a,-um	aus Saarbrücken
3	Saxonia Inferior	Niedersachsen
4	Aquae Helveticae	Baden (in der Schweiz)
5	Lacus Quattuor Pagorum	Vierwaldstätter-See
6	(libellus) nubeculatus	Comic-Heft

HYMNICUM CANTICUM NATIONALE HELVETICUM  
(DER SCHWEIZERPSALM)

Composuit P. Alberich Zwyssig,  
vertit Martinus Meier

In aurora cum meas,  
cerneris inter stellas,  
Tu, excellentissime, optime!  
Sole Alpe rubefacta  
ora, patria intacta!  
Sentit pia anima  
Deum ess(e) in patria!

Veheris cum tonitru,  
ipse es tutela Tu,  
Tu, omnipotens regens et creans!  
Fulgure et tempestate  
fido Tibi, nobis nate!  
Sentit enim anima  
Deum ess(e) in patria!

Venis cum crepusculo  
siderum ut legio,  
Tu, nos amantissime et clemens.  
Caeli spatia perlata  
vocant somnia pergrata.  
Sentit mea anima  
Deum ess(e) in patria!

SVBNOTO RVMOREM VARIVM  
(Ich abonniere RVMOR VARIVS)

---

---

---

SVBNOTO RVMOREM VARIVM DONO  
DATVM ALICVI  
Factura subnotationis mitten-  
da est ad adressam infra  
stantem.  
(Ich abonniere RVMOR VARIVS für  
mit Rechnung an:)

---

---

---

Datum und Unterschrift

RVMOR VARIVS  
c/o AKAD  
Postfach

8050 Zürich

AZ

8050 Zürich

9+10/86

IDIBUS OCTOBRIBVS

MCMLXXVI



RVMOR VARIVS



TOMUS 9

FASC. 61